



Gregorius sua eruditione & prudentia esse
icit, ut utriusq; Iuris Doctor crearef, idq; eo
tempore cum Concilium Basiliense inchoaretur,
anno millesimo quadringentesimo tricesimo. Cū
autem postea Eugenius sese huic Concilio oppo-
neret, atque suum primatum stabilire contendere-
ret, Gregorius feruenti spiritu commotus contra
primatum papæ (præsertim politicum) breuem at
eruditum libellum conscripsit. Composuit etiam
plures orationes & epistolas, atque Appellatio-
nem pro Sigismundo duce Austriae cōtra papam.
Cum enim Sigismundus cū Nicolao Cusano Car-
dinali & Apostolico Legato contentionem habu-
isset, atq; res à uerbis fere ad uerbera peruenisset, Sigismundus hunc Grego-
rium Romam misit, ut in ea causa sibi patrocinaretur. Verūm pontifex Pius
huius oratoris uehementia commotus, & dūcem & eius nuntium excommu-
nicauit. de qua controversia Paralipomena Vrspergensis tradunt. Habitauit
is aliquandiu Basileæ in Concilio, atq; Aeneæ Syluio familiaris fuit. Postea
Norinbergam uenit, atq; eorum Syndicus constitutus, per triginta annos
ib idem magna existimatione uixit, ita ut etiam ab Italis, præsertim Venetis,
magni nominis esset.